



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm II. Sanè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

Alterum. Diebus Dominicis concessum est ordines minores conferre, & Virgines consecrare. His adde, ex eodem Concilio Lateranensi, cit. tit. n. 25 Non tantum Dominicis, sed omnibus festis diebus minores ordines conferri posse, de quo infrà c. 3. Virginum autem consecrationem non tantum diebus Dominicis, sed alijs quoque solemnioribus festis, constat ex c. deuotis, 9. causa 20. q. 1. vbi tamen certi dies prescribuntur, vid. Epiphania Domini, natalitia Apostolorum, & Octaua Resurrectionis. Ait vero Tabiena ver. Virginum consecratio, n. 6. secundum quosdam etiam in alijs festiuitatibus Virgines consecrari posse: quod etiam docent Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 54. Sä ver. consecratio, n. 51. Instante autem mortis periculo, omni die hæc consecratio fieri potest, iuxta cit. c. deuotis.

**QVÆRES:** Cuius sit velum consecratio Virginibus dare, antio videlicetatis XXV. iuxta c. placuit, 14. c. virgines, 15. ead. q. 1. Respondeo cum S. Th. 4. d. 38. q. 1. d. 5. Paludan. a. 3. Syl. ver. Virginum consecratio, n. 3. Tabienam ibid. n. 1. Esse id proprium Episcoporum, neque alteri delegari posse; præterquam à Summi Pontifice. Quia tamen non facile id alijs committere solet, adeò, vt Rodriq. tom. 1. regul. qq. 64. a. 2. dicat se nullum inuenire potuisse prærogativum, secundum quod Regulares Mendicantes Moniales suas consecrare possint. Sed velum continentiae viduis simplex etiam sacerdos dare potest, c. vlt. causa 20. q. 1. Vide Hostiens. in sum. hoc tit. n. 4. & que docui lib. 3. f. 4. n. 8.

Tertium. In Sabbato Pentecostes Sacri ordines conferendi non sunt, sed in hebdomade sequente, cum accepta Spiritus sancti gratia ieunium instituitur.

## CAPITVLUM II.

Sanè.

### PARAPHRASIS.

In Scotia, & Vallia inualuerat consuetudo antiqua, ut in dedicationibus Ecclesiarum,

vel altarium, sacri ordines conferrentur, extra Quatuor ieuniorum Tempora. Hanc consuetudinem ait Alexander III. esse penitus improbandam, quippe institutioni ecclesiastice repugnantem: Imò nisi multitudo ita ordinatorum, & antiqua terræ consuetudo obstaret, non deberent illi in suscepis ordinibus ministrale; & ordinatores potestate ordinandi priuandi forent.

### S V M M A R I V M.

1. *Non est laudabilis, sed potius improbanda & tollenda consuetudo introducita contra Ecclesia universalis canonem, qualis est canon de sacris ordinibus præmissio ieunio conferendis.*
2. *Excusantur tamen à culpa & pena diæcesani, si se tali consuetudini conformiter, modo ea iuri naturali non repugnet, aut ecclæse per se damna sit.*

**N**O T A N D V M Vn. Consuetudo particularis introducta contra Ecclesiæ canones in vniuerso orbe introductos, præser-tim si ab Apostolis instituti sint, (qualis est canoni iste de sacris ordinibus præmissio ieunio conferendis, vt dixi lib. 4. tr. 8. c. 2. n. 4.) laudabilis non est, sed potius improbanda, atque si fieri possit, tollenda. Quia valde expedit vniuersalitatem Ecclesiæ canonibus, non sine iusta ratione institutis, particulares quaque ecclesiæ conformari. Cæterum, dum eiusmodi consuetudo, iuri alioquin naturali non repugnans, neque ecclæse per se damnata, toleratur, seu non damniatur, à culpa & pena excusantur diæcesani, si posthabitum ecclæse vniuersalitatem canonibus, illi se conforment: eo quod quicunque conformare se possit, & plerumque debeat antiquæ, & aliquo modo præscriptæ, consuetudini eius ecclæsiæ, cuius proximum membrum est, vt docui lib. 1. tr. 4. c. 3. n. 5. & c. 11. Talis est consuetudo Orientalium sacerdotum, qui matrimonio ante sacerdotium contracto vtruntur, contra antiquum & in ecclesiis ubique receptum Apostolorum canonom. Hæc consuetudo

suetudo laudabilis censeri non debet, sed si fieri possit, tollenda: interim tamendum non tollitur, excusat Græcos à peccato. Quia de redixi lib. 5. tr. 9. c. 11. Cætera, quæ de suspensione, tum ab ordinante, tum ab ordinatis incurrenda hic dicuntur, si ordinatio extra quatuor ieiuniorum tempora fiat, infra explicabuntur.

## CAPITVLVM III.

## De eo.

## SUMMARIUM.

1. Ordines minores, etiam extra generali ordinationem, quois Dominico die, aut festo conferre licet; modò non tam multi ordinentur, vt videatur esse generalis ordinatio.
2. Subdiaconatus autem & alij Ordines conferri debent in quatuor temporibus, Sabbato sancto, & Passionis.
3. Prima tonsura quois die conferri potest, Minores autem ordines die Dominicō, aut secundum Ecclesiā (salmē particularis) præceptum, festo conferri debent.
4. Prima tonsura & quatuor Minores eodem die conferri possunt. Quibusdam locis consuetudo est, vt conferantur non in ipso Sabbato, sed anticipatiō precedente feria VI. aut IV. & tempore matutino.
5. Non est necessarium, vt in ecclesia conferantur; ordinatio enim hac institui in alio honesto loco potest, præsertim in domo episcopali.

**O**rdines minores non tantum in ordinatione generali conferre licitum est, sed etiam quois die Dominicō, aut festo, saltem unus, & alter ordinari potest, imò etiam plures, ait Gl. communiter recepta, dummodò non sint tam multi, vt videatur esse ordinatio generalis. At verò Subdiaconos nulli Episcopo, prætersum Pontificem ordinare concessum est, nisi in ordinationi-

bus generalibus, quæ fieri debent in Sabato Quatuor Temporum, Sabato Passione Domini, & Sabato Resurrectionis.

His quædam addenda sunt: I. Prima tonsura; quolibet die conferri potest; cum de hac re nihil iure constitutum sit, vti docet Tabiena ver. ordo 2. n. 4. Armilla eod. ver. n. 7. Henrīq. lib. 10. c. 12. n. 1. Sed minores ordines die Dominicō aut secundum Ecclesiā (salmē particularis) præceptum, festo conferri debent, iuxta probatiliorem sententiam apud Barbosam p. 2. alleg. 11. n. 19. II. Quatuor minores ordines simileoden die conferri possunt, imò etiam cum prima tonsura, vbi talis ecclesiā consuetudo est, teste Tabiena ver. ordo, n. 3. Syl. eod. ver. 2. n. 7. III. Prima tonsura, & quatuor minores in quibusdam ecclesijs conferuntur in Sabato, sed per quandam anticipationem præcedente Feria VI. aut IV. quæ consuetudo reprehendi non potest, vt dixi lib. 5. Th mor. tr. 9. c. 8. n. 1. IV. Necesse non est, vt prima tonsura, & quatuor minores ordines conferantur sub Missa sacrificio, que vt ordinans ieiunus sit, teste Armilla ver. ordo, n. 6. Barbosa p. 2. alleg. 11. n. 10. Consuetudo tamē est, vt tempore matutino conferantur. V. Neque etiam necessarium est, vt prima tonsura & ordines in ecclesia conferantur, cum etiam in alio loco honesto, præsertim episcopali domo, ordinatio ista institui possit, sicuti testatur Henrīq. lib. 10. c. 11. n. 8. Barbosa cit. alleg. 11. n. 20. & sumitur ex c. quando & vbi, d. 75.

## CAPITVLUM IV.

## Ex tenore.

## SUMMARIUM.

Criminosus occulus moneri potest, ne promovatur ad ordines, sed si vellet & petat, prohiberi non potest.

**S**i aliquis Clericus occultum peccatum commiserit, quod si notorium vel publicum esset, nec in suscepis ordinibus missis